



ANT. GVBERTI
 COSTANI IVRIS
 VTRIVSQUE CONS.
 & apud Tolosates
 professoris,
 *
 APOLOGETICON,

*Testimonia continens de Christo, & ijs,
 quæ illius aduentu, & crucis tempore
 in calo, et terra mirabiliter facta sunt.*

LVGDVNI,
 APVD IOAN. TORNAESIVM,
 ET GVL. GAZEIVM.
 M. D. LXI.





ANT. GVBERTI
COSTANI IARIS

YTAIVSQUE CONS.

de opud Tolosae

professoris

*

APOLOGETICON

5

Testimonium in materia de Christo. Et de
sua vita, doctrina, et temporibus
in quibus vixit, et de resurrectione.

Ob. G. M. 88 F



LVCCEN.
ABD IOANNIS ORNAMENTVM
DE GAV. CASIVM





ANTONII GVBERTI
COSTANI IVRIS VTRIVSQUE
CONSULTI, ET APVD TOLO-
SATES PROFESSORIS,
APOLOGETICON,



*Testimonia continens auctorum Ethnicorum de Christo,
& his, quæ illius aduentu, & crucis tempore in calo
& terra mirabiliter facta sunt.*



MA & auditione iandiu accepimus, nonnullos, qui sibi perspicaces & rerum reconditarum periti videntur, cum tamen hebetes, obtusiq; sint ac rudes, maximè in vero Dei immortalis cultu, sæpe & multum admiratos, cur Ethnici scriptores silentio præterierint mirabilem I E S V CHRISTI natiuitatem, planetam,

qui Magis apparuit, internecionem puerorum inslu Herodis factam, horrendum terræ motum, qui Christo patiente obtigit, deliquium Solis, cessationem oraculorum, aliaq; id genus, quæ sacris literis mirabiliter facta traduntur aduentu in hunc mundum Seruatoris nostri, aut deinceps, vsque dum mortem pro nobis oppetijt. Tunc enim res vbicunque terrarum actas, si quid habebant admirationis, nauiter patrij rerum gestarum scriptores memoriæ posteritatis tradebant, ac prouincijs regendis præfecti confestim Romanis significabant. Ideo Tertullianus scribit res gestas Christi Pilatum iam pro sua conscientia Christianum, Cæsari Tiberio nunciasse. Tot autem Romæ tum Græci, & Latini rerum omnium scriptores erant, & paulò post extiterunt, quorum pleraq; monumenta in ma-

Pilatus res gestas Christi Tiberio nunciauuit.

nibus omnium habentur, vt nunquam plures. Quamobrem tot præstantium virorum, qui in describendis rebus leuissimis sæpe immorati sunt, perpetuum de his maximis, & grauissimis rebus silentium multis animo circa fidem fluctuantibus, hac præsertim scelestorum hominum feracissima ætate, ancipitem cogitandi curam affert, eosq; miruminmodum angit & exercet. Ego autem satis succensere illis non possum, cum valde absurdum sit quenquam piè initiatum, Christianisq; dogmatis imbutum, magis fraudulenta paganorum taciturnitate moueri, quàm sacris effatis, quàm admirabili vtriusque instrumenti concordia, quàm certissimis piorum testimonijs, qui spiritu diuino acti prodigia magna, signaq; ediderunt. Præsertim cum illi de industria silentio obruere conati sint, quæ ad gloriam, laudemq; Seruatoris nostri, & Christianam ac veram pietatem pertinebant: vt nemo tantis rerum miraculis ab impio Deorum futilium cultu auocaretur, & ad Christianam pelliceretur religionem, quæ semel sparsa per Apostolos, ac disseminata in dies magis ac magis crescebat, & per omnes orbis partes mirabiliter propagabatur, vt Plinius lib. 10. epist. ad Traianum scribit, & Tacitus lib. 15. Annal. Sed tamen (ô magna vis veritatis) huius generis multa per imprudentiam illis exciderunt, quæ suppressere nitentur. Itaque Cicero, vt rem paulo altius repetam, libro primo epist. ad familiares, ostendit suo tempore ob Sibyllinas vaticinationes perspectum fuisse Senatui, nedum sacra consulentibus Regis magni, & immortalis aduentum. Cum enim Ptolomæus in regnum Ægypti, ex quo deiectus ab Alexandrinis fuerat, ope Romanorum restitui vellet, & eius causam summa contentione atque eloquentia Pompeius egisset, non mediocrem Senatui Sibyllarum oracula hæsitacionem iniecerunt, quòd aduentu Christi Ægyptum Romanis obnoxiam fore prædixissent, iamq; vaticinij tempus oraculorum interpretes instare dicitarent. Hoc enim erat Sibyllinum vaticinium:

Ethnici de industria reticuerunt res gestas Christi.

Romani perspectum habuerunt Christi aduentum. Ptolomæus regno deiectus.

Sibyllinum de Christo vaticinium.

*Sed postquam Roma Ægyptum reget, imperioq;
Frænabit, summi tum summa potentia regni
Regis inextincti mortalibus exorietur.
Rex etenim sanctus veniet, qui totius orbis
Omnia seclorum per tempora scepra tenebit.*

Tunc

*Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipsis
In terris similis, natus patris omnipotentis,
Corpore vestitus.*

Dicitq; postea illum quatuor vocales ferre, & non vocales duas: quibus verbis significat salutare nomen *ἰησους*, quod duabus constat consonantibus literis, quatuorq; vocalibus. Quocirca idem Cicero lib. 2. de diuinat. de Acrostichide Sibyllini poëmatis loquitur, quam de magno Christi iudicio ita contexuerat Sibylla, & suo inferuerat poëmati, vt primis versuum literis *ἰησους χριστος, θεῦ ἰσος, σωτηρ, σωρος* contineretur. Et fanè sicut de vero, & magno rege appellando Sibyllina *ἀκροστιχίς* loquitur, ita & Ciceronis locus: vt propterea ad aliū sensum accommodari nequaquam possit. Quod vt magis elucescat, verba Ciceronis subiiciemus: Sibyllæ, inquit, versus obseruamus, quos illa furens fudisse dicitur, quorum interpres nuper falsa quædam hominum fama dicturus in Senatu putabatur, eum, quem reuera regem habebamus, appellandum quoque esse regem, si salui esse vellemus. Hoc si est in libris, in quem hominem, & in quod tempus est? callidè enim qui illa composuit, perfecit, vt quodcunque accidisset, prædictum videretur, hominum & temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, vt ijdem versus aliàs in aliam rem posse accommodari viderentur. Non esse autem illud carmen furentis, cum ipsum poëma declarat (est enim magis artis & diligentia, quàm incitationis, & motus) tum verò ea, quæ *ἀκροστιχίς* dicitur, cum deinceps ex primis versus literis aliquid connectitur, vt in quibusdam Ennianis, quæ Ennius fecit. Id certè magis est attentis animi, quàm furentis, atque in Sibyllinis ex primo versu cuiusque sententiæ primis literis illius sententiæ carmen omne prætexitur. Hoc scriptoris est, non furentis: adhibentis diligentiam, non insani. Quamobrem Sibyllam quidem sepositam & conditam habeamus, vt (id quod proditum est à maioribus) iniussu Senatus ne legantur quidem libri, valeantq; ad deponendas potius, quàm ad suscipiendas religiones: cum antistitibus agamus, vt quiduis potius ex illis libris, quàm regem proferant: quem Romæ posthac nec Dij, nec homines esse patientur. Sceleste tamen atque impiè Sibyllam dixit obscuritatis adhibuisse latebram hominum &

Acrostichis Sibyllina primis versuum literis continebat: Iesus Christus, Dei filius, Seruator, crux.

Ἀκροστιχίς dicitur, cum ex primis versuum literis aliquid connectitur.

Libri Sibyllini iniussu Senatus non legebantur, & ualebant ad deponendas religiones. Cicero scelera

*tē dixit Sibyllā
adhibuisse late-
brā obscuritatis*

temporum definitione sublata. Constat enim ex multis Sibyllinorum oraculorum locis tempus aduentus Regis magni & immortalis fuisse præfinitum : idq; plebem sciuisse, nedum antistites & Senatum suprā ostendimus, & paulò post subiectus Firmiani locus magis patefaciet. Voluit nanque Deus Seruatoris nostri aduentum multo antè prænunciari, & Iudæis per prophetas, alijs verò gentibus per Sibyllas innotescere : vt in eum omnes spem salutis, & vitæ æternæ collocarent, ex quo salus & vita omnium pendebant. Nulla verò amphibolia, homonymia, aut latebra obscuritatis fuit in nomine regis, de quo vaticinata fuerat Sibylla. Nam, vt ipse Cicero fatetur, eum prædixerat Regem appellandum, qui reuera rex erat: hoc est, IESVM CHRISTVM: ac Sibylla eo vaticinio ita eum depingit, vt nullam aliam in rem illius versus transferri queat.

Cicero hallucinatus in his que ad pietatem & Christi agnitionem pertinebāt

Sed tamen in his que ad pietatem & Christi agnitionem pertinebant, facilè hallucinatus est Cicero : tum quòd caligantibus in Sole veritatis oculis, vaticinia Sibyllarum obseruaret: tum quòd ei copia non esset visendi & perlegendi omnes versus Sibyllinos, qui in Sacrario conditi diligenter asseruabantur, ex quo anus incognita tres eorum versusum libros Tar-

Quind. cimuiris ad libros Sibyllinos aditus solum modo patebat.

quinio Regi vèdedit. Nam ad illos iussu tantum Senatus quind. decim viri adibant, cum deos immortales publice consulendos arbitrabantur, vt Gellius ait lib. 1. cap. 19. Ideo prudenter Cicero adiecit, hoc si est in libris : nimirum vt significaret à se non lectos. Sed vt planius hoc fiat, depromam quæ de versibus Sibyllinis ex Marco Varrone Lactantius lib. 1. Instit. diuinar. refert: Varro, inquit, cum de quind. decim viris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse vnus Sibyllæ, sed appellari vno nomine Sibyllinos, quòd omnes scemine vates Sibyllæ sunt à veteribus nuncupatæ, quasi θεόβουλοι. Cæterum Sibyllas decem numero fuisse, ac septimam earum Cumanam, nomine Amaltheam, quæ ab alijs Demophile vel Herophile nominatur: eamq; nouem libros ad regem Tarquinium attulisse, ac pro eis trecentos Philippos postulasse, regemq; aspernatum pretij magnitudinem, derisisse mulieris insaniam : illam in conspectu regis tres combussisse, ac pro illis trecentos Philippos postulasse. Tarquinius multo magis mulierem insanire putasse. Quæ denudò tribus alijs exustis, cum in eodem pretio perseueraret, mo-

Cumana Sibylla.

rum

tum esse Regem, ac residuos trecentis aureis emisſe : quorum poſteà numerus ſit auctus, Capitolio reſecto, quòd ex omnibus ciuitatibus & Italicis & Græcis, & præcipuè Erythræis coacti, allatiq; ſunt Romam, cuiuſcunq; Sibyllæ nomine fuerunt, & paulo poſt harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur, & habentur, præterquàm Cumææ: cuius libri à Romanis occuluntur, nec eos ab vllò, niſi à quindecimuiris, inſpici fas eſt. Et ſunt ſingularum ſinguli libri: qui quia Sibyllæ nomine inſcribuntur, vnius eſſe creduntur: ſuntq; confuſi, nec diſcerni, ac ſuum cuique aſſignari poteſt, niſi Erythrææ, quæ nomen ſuum carmini inſeruit. Sed cum Cicerone Lactantius non conſtat, ac multo minus cum Gellio. Lactantius enim omnium Sibyllarum carmina vulgò haberi dicit, præterquàm Cumææ: Cicero iniuſſu Senatus non legi: & quaſi vulgò non haberentur, nec fas eſſet ea circumferre aut legere, poſtquam retulit ex illis ſententiam, callidè, vt ſuprà notauimus, adiecit, hoc ſi eſt in libris, ſcilicet ne eos legiſſe videretur. Quinetiam Gellius anum incognitam verſus Sibyllinòs Tarquinio tradidiſſe teſtatur, quæ ab eo digreſſa nuſquam loci poſtea viſa eſt: Lactantius verò ex Varrone refert, Sibyllam fuiſſe Cumanam. Et quia in hunc ſermonem incidimus, ne auidos diſcendi lectores ſuſpenſo animo relinquam, quid mihi tota hac de re videatur, obiter in medium proferre non gra uabor. Ego igitur, vt ingenuè dicam quod ſentio, putarim Sibyllinorum verſuum exemplar, quod in Capitolio reconditum erat, ita religioſè, & diligenter fuiſſe aſſeruatum, vt nemini, præterquam quindecimuiris, ad id inſpiciendum aditus pateret. Veruntamen alia eorundem verſuum exemplaria ex multis tum Italiæ, tum Græciæ ciuitatibus allata vel tranſcripta permultos etiam Romanorum habuiſſe: quanquam edito Auguſti vetitum fuiſſet: vt propterea credi par ſit, Virgilium Cumæi vaticinij non modò auritum, ſed & oculatum fuiſſe teſtem. Hac de re obſeruauì pulcherrimum locum Taciti lib. 5. Annalium, quem hìc ſubnectere viſum eſt: Relatum inde ad patres à Quintiliano tribuno plebis de libro Sibyllæ, quem Caninius Gallus quindecimuir recipi inter cæteros eiudem vatis, & ea de re Senatuſconſultum poſtulauerat. quo per diſceſſionem factò, miſit literas Cæſar modicè tribunum

*Libri Sibyllini
ex varijs ciuita
tibus coacti.*

*De verſibus Si
byllinis diſcre
pantes Cicero
nis, Lact. et Gel
lij ſententiæ.*

*Anus quæ li
bros Sibyllinos
Tarquinio tra
didit, nuſquam
poſtea viſa eſt.*

*Auctoris de Si
byllinis oracu
lis ſententiæ.*

*Libri Sibyllarū
quomodo reci
piebantur.*

inrepans, ignarum antiqui moris ob iuuentam: Gallo exprobrabat, quòd scientiæ, ceremoniarumq; vetus, incerto auctore, ante sententiam collegij, non, vt assolet, lecto per magistratus, æstimateq; carmine, apud infrequentem Senatū egisset. Simul commonefecit, quia multa vana sub nomine celebri

Augusti editū. vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad prætorē vrbānū deferrentur, neque habere priuatim liceret. quod à maioribus quoque decretum erat, post exustum sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Illo, Erythris, per Africam etiam, ac Siciliam & Italicas colonias carminibus Sibyllæ, vna seu plures fuere, datoq; sacerdotibus negotio, quantum humana mente potuissent, vera discernere. Igitur tunc quoque notioni quindecimviriū is liber subijcitur. Hæc Tacitus. Cæterum quænam fuerit mulier illa, quæ versus Sibyllinos Tarquinio regi vendidit, quia facti quæstio est, ad coniecturalem statum pertinens, in re mihi non planè cognita iudicium meum interponere supersedeo. Protuli adhuc duos de Christo Ciceronis apertissimos locos, nec vlli calumniæ aut tergiversationi expositos. Apagesis, nunc eiusdem argumenti aliorum promamus elogia. Sic autem Suetonius in Octauio, Auctor est, inquit, Iulius Marathus, ante paucos quàm nasceretur menses, prodigium Romæ factum publicè, quo denunciabatur regem populo Romano naturam parturire: Senatū exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educeretur: eos, qui grauidas vxores haberent, quo ad se quisq; spem traheret, curasse ne Senatusconsultum ad ærarium deferretur.

Virgilius autem ecloga 4. de Christi aduentu, eius mirabili natiuitate, & genesi diuina sic præclare, ac diuinitus effatur.

Romæ prodigio
significatū regē
parturire natu-
ram.

Virgil. Seruato
ris natiuitatem
descripsit.

*Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cælo demittitur alto.
Tu modò nascenti puero, quo ferrea primūm
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina, tuus iam regnet Apollo.*

Ecloga 4. Vir-
gil. de Christo
loquitur.

& quæ sequuntur. Vt enim rectè Augustinus notauit lib. 10. de ciuit. dei, cap. 1. tota illa ecloga de Christi aduentu loquitur, ac multo antè de eo pronunciatum Sibyllæ vaticinium describit

describit, ac continet, quæ dici de alio, quàm Christo nequeunt. Quid? non ne hoc versu,

Ultima Cumæi venit iam carminis ætas.

Virgilius iam aduenisse docet, quæ Sibylla Cumæa de Christi aduentu prædixerat? Sed præ deum atque hominum fidem, de qua mortalium sobole intelligi hi versus possunt?

Aggredere o magnos aderit iam tempus honores

Chara Deum soboles magnum Iouis incrementum:

Aspice conuexo nutantem pondere mundum,

Aspice venturo latentur ut omnia seculo.

Quis enim dixerit vel Cæsarem ipsum sobolem Dei esse? hoc amplius Iouis accretionem? Etiam tropis omnibus perpen-
sis, quibus poeta vititur, non nisi de Christo intelligi is locus potest. Valeant igitur illi, qui non tã audacter, quàm falsò de quodã Salonino Pollionis filio Virgiliũ loqui dicunt. De eo ne præfata fuerat Sibylla, ex cuius vaticinio totam illam eclogam Virgilius deprompsit? meminit ne vsquam illius Salonini Virgilius? Scribit utique, quod de felici & fausto magni, admirabilis, & immortalis pueri ortu vaticinata fuerat Sibylla, consule Pollione euenturum: at eo patre non item. Iam enim instare illius felicitatis tempus ex Sibyllinis vaticinationibus perspectum habebãt. Sed admittamus de filio Pollionis loqui Virgilium: nihil propterea efficitur: quandoquidem de illo prælocuta non fuerat Sibylla, cuius vaticinium Virgilius eò loci describit. Cur ergo Salonini adumbravit personam? nimirum ut populo & scenæ, ut dicitur, seruiret. Adde quod eum latebat, quisnam esset admirabilis ille puer, quem Sibylla prædixerat illis temporibus nasciturum. Itaque Virgilius (licet parum appositè & congruenter) ad filium Pollionis transfert & accommodat, quod de Christo apertissimè præfata fuerat vates. Sed de Christi ortu satis, ad reliqua pergamus. Plinius lib. 2. cap. 25. planetã significare videtur, qui post natalitium nostri redemptoris diem Augusto imperante mirabiliter visus est, & Magorum iter direxit. Acontia, inquit, iaculi modo vibrantur ocysissimo significatu. Hæc fuit, de qua quinto consulatu suo Tiberius Imperator Cæsar præclaro carmine perscripsit, ad hunc diem nouissimè visa. id est, posthac non visa. Macrobius Saturnal. lib. 2. cap. 4. Internecionem puerorum

De alio quàm Christo intelligi ecloga 4. Virgil. non potest.

Planeta qui magis apparuit.

Pueri iussu Herodis interfecti.

qui bimuli essent, aut minores iussu Herodis crudeliter factam, vt cum ceteris Christus occideretur, quem Magi natum nunciauerant, velut rem vulgò notam sic obiter commemorat. Cùm Augustus Cæsar audisset inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Iudæorum intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, quàm filium. Plinius lib. 2. cap. 84. terræ motum, qui Christo pro nobis patiente in Asia factus est, his verbis expressit: Maximus terræ memoria mortalium extitit motus Tiberij Cæsaris principatu, tredecim vrribus Asiæ vna nocte prostratis. Et Iulius Solinus cap. 43. Nusquam orbe toto tam assiduus terræ motus & tam crebras vrbiũ demersiones quàm in Asia esse, cladibus Asiaticis patuit, cum Tiberio principe vrbes tredecim (sic enim legendum est) simul vna ruina occiderunt. Earum nomina erant: Myrrhina, Themis, Philadelphia, Megara, Cime, Dicearchia, Magnesia, Hymolus, Sardis, Ephesus, Monstene, Cæsarea & Apolonia. Eius quoque rei meminit quidam Olympiadum scriptor, qui Augusti libertus fuit, vt multi literis prodiderunt. Illud porrò memorabile deliquium Solis, quod præter naturam & eclipsium rationem contigit, cùm Seruator in crucem actus est, ex multis constat à Phelegone, Aphricano, aliisq; Ethnicis historiarum scriptoribus memoriæ proditum, vti rem admirabilem & observatione dignissimam: quòd naturaliter defectus Solis non nisi nouissima prima ve luna fiat. Tunc enim si ad perpèdiculum ea soli subiiciatur, interposito suo Solis radios auferet terræ, & repentinas obducat tenebras. Aliter secundum Aristotelem, Plinium, & alios philosophos cõtingere deliquium Solis non potest. Quamobrem tanto rei miraculo excitati Reipublicæ Romanæ principes eam Solis defectionem, quæ Christo patiente obtigit, tanquam insolitam in scriniis descriptam habuerunt, vt auctor est Tertullianus. sic enim ille: Eodem momento dies medium orbem signante sole subducta est: deliquium vtique putauerunt, qui id quoque super Christo prædictum non scierunt, & tamen eum mundi casum relatum in archiuis vestris habetis. Egregiè verò hunc Solis defectum Dionysius Areopagita Græcè quidem, sed in hunc sensum quadam ad Polycarpum epistola describit: Erasmus, inquit,

vnà

*Terræ motus
Christo patiente
factus.*

*Nomina ciuitatum
quæ tẽpore
crucis Christi
in Asia cor-
ruerunt.*

*Eclipsis patiente
Christo facta.*

*Causa defectus
Solis.*

vnâ ambo, & stabamus ad Heliopolim, ac cernebamus, necopinato, cum Luna se Soli obiciebat: neque enim coniunctionis tempus erat: Rursusq; cum eadem ab hora nona ad vesperum se mediæ Solis lineæ præter naturæ ordinem opponebat. Redige autem etiam aliquid aliud ei in memoriam. Scit enim etiam obiectum ipsum à nobis visum esse oriri ab ortu Solis, & ad Solis extremum peruenire: deinde euanescere: Rursusq; non ab eadem parte Solis & obiectum & recessum euenire, sed ab ea, quæ, vt ita dicam, ex diametro erat contraria. Hæc sunt mirabilia illius temporis, quæ Christus auctor rerum omnium efficere solus potest, qui fecit magna & mirabilia, quorum non est numerus. Sed de veterum oraculis videamus. Et constat aduentu Christi ea defecisse, vt præter pios auctores, testis est scelestissimus ille ac teterrimus Christianorû hostis Porphyrius in libro, quem aduersus Christianam pietatem scripsit, vt Eusebius refert lib. 5. de præpar. Euangel. cap. 1. Nunc verò mirantur, inquit, si tam multis annis peste ciuitas vexatur, cum & Æsculapius & alij Dij absint ab ea. Ex quo enim Iesus colitur, nihil vtilitatis à diis consequi possumus. Idem Porphyrius apud Eusebium hoc commemorat deficientium oraculorum responsum:

Dionys. Areopag. affabre describit eclipsim quæ Christo patiente obigit.

De deficientibus oraculis.

Porphyrij de Christo locus.

*Ablata est Pythij vox, haud reuocabilis vlli
Temporibus longis, etenim iam cessit Apollo.
Clauibus oclusus silet, ergo ritè peractis
Discedas patria, & redeas ad limina sacris.*

Quin Augusto hoc redditum est oraculum:

*Γαῖς ἐβραῖα κέλεται με θεοῖς μακάροισιν ἀνάσσειν
Τὸν ἡ δόμον προλιπεῖν, Ἐὶ αἰδ' ἦν ἀνδρῶν ἰκέδαι
Λοιπὸν ἀπιδι σιγῶν ἐκ βασιλῶν ἡμετερέσιον.
Puer Hebraeus Dijs beatis imperans iubet me
Hanc domum linguere, & rursus in orcum reuerti.
Quod superest, abi tacitus ex aris nostris.*

Oraculum Augusto redditum

Sic expletum est illud, quod præfatus fuerat Zacharias cap. 13. In illa die erit patens fons domui Dauid in abluitionem peccatoris & menstruatae. Et in die illa disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra: & pseudoprophetas & spiritum immundum auferam de terra. Quem locum sic interpretor, postquam Christus aduenerit sacra ba-

Expositus Zachariae locus.

ptismatis ablutione peccata volentibus abstergentur, non modò improbiſ actionibus contracta, ſed & origine. Quæ ſubiiciuntur, cùm perſpicuè confirmēt quod volumus, non indigent explicationis. Huc pertinet illud Iſaię cap. 19. Ecce dominus aſcendet ſuper nubem leuem, id eſt, filius Dei carnem humanam aſſumet: & ingreditur Ægyptum, & mouebuntur ſimulacra Ægypti à facie eius, & cor eorum vincietur in eis. Multum his congruunt ac ſuffragantur, quæ Plutarchus in lib. de defectu oraculorum in hanc ſententiam ſcribit: De morte Dæmonum audiui ego ab Æmiliano Rhetore, cùm Italiam cogitās eius pater nomine Epitheoſes nauigium conſcendiſſet, noctu ad Echinadas inſulas flatum ventorum penitus defeciſſe, nauiq; in ſalo fluitante, ac tandem ad Paxas delata multis tum attentius vigilantibus, horrificam vocem è Paxis repentè auditam, qua Thamus quidam vocabatur: eaq; voce ob rei nouitatem magno omnes pauore percuſos. Thamus enim ille homo erat Ægyptius, nauis gubernator, & multis, qui in nauī erant, nomine incognitus. Nihil tamen eum reſpondiſſe, donec tertio inſeclatum eſſet. Tunc verò auditam vehementiorem præcipientis vocem, vt cum eſſet ad Palodes peruectus, vel ad paludem (ſic enim *παλῶδες* quidam interpretantur) Pana magnum mortuum eſſe nunciaret. Qua re audita magno dicebat omnes ſtupore conſternatos. Cumq; dubitarent vtrum illi voci obtemperandum eſſet, necne, hoc Thami ab omnibus cōprobatum eſſe conſilium, vt ſiquidem ſecundi venti flatent, nihil diceretur: ſi prorsus ceſſarent, & malacia ac tranquillitas eſſet, quod audierant prædicaretur. Itaq; cùm ad Palodes peruecti fuiſſent, ne vlla aura ſpiraret, nec vnda cerneretur, Thammum è puppi deorſum verſus proſpectantem voce magna, vt audierat, exclamaſſe, Pana magnum mortuum eſſe. ac ſtatim inſecutum non vnus, ſed multorum, ingentem gomitum admiratione quadam mixtum. Itaq; cùm eius rei fama percrebuiſſet, multumq; Romę fuiſſet diſſipata, Tiberium Cęſarē accerſiri Thammum iuſſiſſe, ac fidem vſque adeo huic rei habuiſſe, vt de eadocetos percunctatus ſit, quos circum ſe habebat frequentes: eosq; tandem cenſuiſſe Pana Deum eſſe ex Mercurio & Penelope genitum. hæc ex Plutarcho retuli, in quibus Tiberij Cęſaris.

Plutarchi de
morte Dæmonum
locus egregius.
Vox horriſifica.

Pana magnum
mortuum.

Thami cōſiliū.

Res prodigioſa
ac memorabilis

Cæsaris obseruandum est tempus , quo & Christum in terris fuisse constat, & Pana magnum mortuum : hoc est, principem tenebrarum mundi huius cum suis asseclis spiritibus immundis hinc abactum , & quam in mundo habebat , Christi aduētū priuatū potestate. Quædam nihilominus oracula (quauis perrarò) dæmones ediderunt, quæ vera, solida, & perspicua , vt antè , non erant, sed falsa , inania & obscura , donec Constantini pietate Christiana religione propagata omnino tandem extabuerunt. Vnde Plutarchus, Cum siluisset, inquit, Ammonius, tum ego, Quia tu, Cleóbrote, de oraculo nobis potius explicas. Nam quæ illic diuinitatis quondã opinio fuit, nunc exolescere quodãmodo videtur. Silente autem Cleombroto, Conueniens, ait Demetrius, nõ est quicquam sciscitari aut querere: cùm hîc oracula, præter vnum aut alterum omnia defecerint. Illud potius videndum est , quænam causa sic ea debilitarit. & quæ sequuntur : hoc enim argumentum integro libro prosequutus est Plutarchus. Milesius tamè Apollo, quòd Deo reluctari non posset, nec diuinam obtegere veritatem, de Christo sententiam rogatus , auctore Firmiano , hoc edidit oraculum:

Princeps tenebrarum mundi eiectus foras. Dæmones post mortem Christi quedam oracula ediderunt.

Θνητὸς ἦν ἢ σαρκὰ, Ἐφὸς τερατώδισιν ἔργοις.

Ἀλλ' ὑπὸ χελδαιῶν κριτῶν ὄπλοις σπικλωθεῖς,

Γόμοις ἢ σκολόπεσι πικρὰν ἀνέτλησε τελευτήν.

Mortalis erat secundū carnem. sapiens prodigiosis operibus.

Sed sub iudicibus Chaldaeis armis comprehensus

Clavis & cruce amarum tolerauit finem.

Milesij Apollinis de Christo responsum.

Itaque cùm Alexandro & Hadriano Imperatoribus hæc perspecta fuissent, nec eos laterent, quæ in dies à Christianis edebantur miracula, ille inter Deos & animas sanctiores Christū coluit, eiusq; nomini sacratam ædem cōtra popinones seruaui: hic verò templa Christo extituit , quæ postea Hadriani dicta sunt, vt Lampridius locis insequentibus testatur. Viuendi vsus Alexandro hic fuit : Primū vt si facultas esset , id est, si non cum vxore cubuisset, matutinis horis in larario suo (in quo & diuos principes , sed optimos electos , & animas sanctiores, in quæis & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham & Orpheum, & huiusmodi deos habebat, ac maiorum effigies) rem diuinam face-

Alexander Seuerus Christum coluit.

ret

ret. & iterum : Cum Christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescriptit, melius esse ut quoquomodo illic Deus colatur, quam popinariis dedatur. Item alibi de eodem Alexandro loquens : Christo, inquit, templum facere volebat, eumque inter deos recipere. Quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulacris iusserat fieri : quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur : sed prohibitus est ab his, qui consulentes sacra reppererant, omnes Christianos futuros, si id opus euenisset, & templa reliqua deferenda. Hæc Lampridius. Quocirca de Christo hoc extat Iosephi Iudæi, inter veteres grauissimi & probatissimi scriptoris elogium lib. 18.

Hadrianus in omnibus ciuitatibus templa Christo fecit.

Iosephi Elogium de Christo.

Antiq. cap. 4. Eodem tempore fuit IESVS vir sapiens, si tamen virum dicere fas est. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor eorum, qui vera lubenter suscipiunt, habuitque tam ex Iudæis quam ex Gentibus permultos sectatores. Hic Christus esse credebatur, quem accusatum à nostræ gentis principibus, cum Pilatus addixisset cruci, eum sectari non destiterunt & vehementer diligere, qui ab initio cœperant. Eis enim tertia die viuus apparuit, quemadmodum diuinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerant : & vsque adhuc Christianorum gens ab eo denominata non deficit. Mihi nunc succurrit egregius locus Marcellini lib. 22. quem pro coronide suggeram, quandoquidem Ethnicus est auctor. Is de Iuliano Imperatore loquens sic ait : Imperij sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Hierosolymam templum, quod post multa & internecina certamina obsidente Vespasiano, postea à Tito ægre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alipio dederat Antiocheni, qui olim Britannias procurauerat præfectus. Cum itaque rei eidem fortiter instaret Alipius, iuaretque provinciæ rector, metuendi globi flammæ propè fundamenta crebris adsultibus erumpentes, fecere locum nostris aliquoties operantibus inaccessum. Hocque modo elemento obstinatius repellente cessauit inceptum. Et quia res obseruatione digna videtur, placet eam ex Theodorito, Ruffino, aliisque Christianis historicis

Iulianus restitueret templum Hierosolym. uoluit.

vberius.

vb̄erius describere: Iulianus Augustus, quia summo odio Christianam prof̄quebatur religionem, multa impiè & sceleratè in Christum & eius sectatores machinatus est. Inter cætera, ratus se dominicum verbum posse conuellere, iussit restitui templum iam olim Hierosolymis à Tito subuersum. Qua de causa Iudæi per vniuersum orbem dispersi, ingentes pecunias contulerunt, ac ipse Iulianus multa suppeditauit, non quidem ex liberalitate, aut pietatis ergò, sed vt veritatem oppugnetet. Itaque Iudæi magno gaudio exultantes, non modò Christianos maledictis laceffbāt, sed & multa acerba illis minitabantur. Tum erat Hierosolymorum Episcopus Cyrillus, qui omnia cominus obseruans, quæ Danielis prophetia & Euangelio hac de re continentur, omni asseueratione confirmauit, fieri nequaquam posse, vt ibidem lapis super lapidem à Iudæis poneretur. quod & confirmauit euentus. Cùm enim eritis antiqui ædificij reliquijs noua fundamenta iacere molirentur, quicquid gypsi & calcis ob eam rem allatum fuerat, vi magna ventorum omnino dispersum fuit. Deinde insecutus est ingens terræ motus, quo eius loci absumpta sunt ædificia, & vicinæ porticus dirutæ: quarum ruina innumeros ferè Iudæos, & futuri ædificij artifices, qui in eas se receperant, de repente oppressit. Sed cùm incepto nondū desisterēt, ignei globi immensæ magnitudinis vi magna ex fundamentis erumpentes, omnes penè, qui tum aderant, opifices, & Iudæos combusserunt. Atque ita mirabiliter Deus & Iuliani, & pertinacis populi temeritatem vlttricibus flammis coërcuit. Qui autem salui & incolumes euaserunt, etiã inuiti I E S V M C H R I S T V M verum Deum esse prædicabant & confitebantur: quod & pij omnes sine cunctatione faciunt. Enimuerò literis Ethnicis si non essent hæc contestata, consignataq;, non ne his prorsus commentitia viderentur, qui omnia pro animi sui libidine metiuntur, nec quicquam probant, quantumuis argumentis, & rationibus premantur, nisi quod lubet, & arridet? Illis itaque meliorem mentem precabimur, & Deum Opt. Max. patrem Redemptoris nostri I E S V C H R I S T I ex animo rogabimus, vt tam arroganter aut imprudenter in tenebris offendentes ad viam lucis & veritatis reducat, & ex tanta erroris &

Iulianus Christianæ religionis osor.

Iudæi pecunias contulerunt ob restitutionē templi Hierosolymitani.

Cyrillus Hierosol. episcopus.

ignor

ignorantiae caligine tandem aliquando liberet: ne horum doctrina, & opinionum prauitate pij & veri Christiani inficiantur, & à vera religione desciscant.

F I N I S.



Ob. 8. III. 884